HIERONYMUS. PS. IOHANNES CHRYSOSTOMUS. BEDA VENERABILIS
Göttweig, 2. Viertel 12. Jh. Seite 2r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36549
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



INCIPIT PROLOGUS SCI HIERONIMI PBRI SUP MATHEUM.

PLURES FUISSE QUI EUANGELIA SCRIPSERUNT. Et lucas euangelista testatur dicens. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum que in nobis complete sunt. sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi uiderunt sermonem. ministrauerunt ei. Et perseuerantia usque in presenti tempore monimenta declarant que diuersis auctoribus edita diuersarum heresum fuere principia. Ut est illud iuxta egyptios et thoman et mathian et bartholomeum. duodecim quoque apostolorum. et basilidis atque appelles ac reliquorum quos enumerare longissimum est. Cum hoc tantum in presentiarum necesse sit dicere extitisse quosdam qui sine spiritu et gratia dei conati sunt magis ordinare narrationem quam historie texere ueritatem. Quibus iure potest illud prophetice coaptari. Ve qui prophetant de corde suo qui ambulant post spiritum suum. qui dicunt dominus misit me et dominus non misit eos. De quibus et saluator in euuangelio iohannes loquitur. Omnes qui ante uenerunt fures fuerunt et latrones. Qui uenerunt non qui missi sunt. Ipse enim ait. Ueniebant et ego non mittebam eos. In uenientibus presumptio temeritatis. in missis obsequium seruitutis est. Ecclesia autem que supra petrum domini uoce fundata est quam introduxit rex in cubicu